



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. VI. Omnes viri sancti felicitatem Reipublicæ ex virtute æstimarunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

CAP. VI.

Omnes viri sancti felicitatem Reipublicæ ex
virtute æstimarunt.Religio &
iustitia fun-
damenta
gubernatio-
nis.

S. 1. **O**mnium sanctorum est consentiens, veraq; sententia, duo esse fundamenta politicæ societatis, iustitiam, & religionem, principemque cum primum à Deo recesserit, in se quoque summi rebellionem experiri. Sola vera pietas satis est principibus ad salutem; sicut è contrario, absque illa nihil profunt exercitus, equi, satellites, ensium vis, viorumque immunerabiles copie, aurum item, & argentum, & quicunque præterea est alius apparatus. Tela arancorum ista sunt, nisi pietate constent.

Inter sanctos quidem recensere Tertullianum fas non est, quia quamvis recte cæpit, magno tamen Ecclesiæ scandalo cecidit. Ille tamen præ cæteris in Apologetico in hoc argumentum incubuit. Iudicium hoc gentium erat; si Tiberius ascendit in mœnia, Nilus non ascendit in arua, colunt, fecit, terra movit, fames aut lues orbem inuasit, continuo Christiani ut rei scelerum petebantur ad leonem; ille vero præcipue gentiles causas dare probat, & nunc mala illa leuiora esse, cum sunt apud Deum deprecatores Christiani; communis itaque mundi sententia erat, delictis pœnas infligi.

Deum co-
tentibus pro-
spera negli-
gentibus ad-
uersa con-
tingunt.

S. Cyprianus etiam libro de Idolorum vanitate, Iudæorum clades pœnam impietatis fuisse docet. Iudæis primum erat apud Deum gratia: sic olim iusti erant, sic maiores eorum religionibus obediebant, inde illi & regni subtilitas floruit, & generis magnitudo provenit: sed illi negligentes indisciplinati & superbi postmodum facti, & fiducia patrum inflati, dum diuina præcepta contemnunt, datam sibi gratiam perdidierunt. Quam vero fuerit illis profana vita, quæ contracta sit violatæ religionis offensæ, ipsi quoque restantur, qui etsi vocatent, exitu consentientur: dispersi & palabundi vagantur soli, & celi sui pro fugi, per hospitia aliena tælesantur.

Regum sce-
lere populus
plerumque
delectatur, sed
vinctator.

Et S. Hieronymus in c. 15. Ierem. Dabo eos in servitum, siue commotionem, & Angustias uniuersæ terre, & sub Babylonius ex parte completum est, & nunc explebitur in toto: quando pessimum regem, & qui repleuerit Ierusalem à porta usque ad portam cruore iustorum, populus imitatus est impius. Ex quo discimus regum ac principum & præpositorum scelere populus plerumque delectari. Summa ergo perniciēs, princeps impius.

Niniuita
pietate ser-
uauerunt, quæ
peccando a-
missuri e-
rant.

S. 2. Sanctus Ambrosius in cap. 4. Ionæ, unicam seruandæ patriæ rationem, aut esse ciuium probitatem, sicut eorum peccata sunt causa euerſionis. Tanta fuerunt Niniuita sapientia, ut non alienis se præſidiis defenderent, sed propria deuotione saluarent. Nam non statim desperauerunt de salute sua, quia audierunt à Propheta cum ciuitatis se manibus subuertendos: sed quando proximum annuntiabatur excidium, tanto magis religiosi actibus armabantur: nec reliquerunt euertendam ciuitatem suam, sed in ea potius permanserunt sapientes scilicet, ut quæ ciuium vocabatur peccatis, ciuium orationibus saluaretur: & cui perditionem mala conuersatio intulerat, ei salutem deuotio religiosa conferret. Iustum enim erat ut quos fuerat passa peccatores, eosdem haberet proprios defensores. Ciuitati enim non nisi propter ciuium peccata inferatur excidium. Define ergo peccare, & ciuitas non peribit. Quid fugis patriam? si vis aliuſe esse, tua potius peccata subterfuge. Si tu peccare deseris, victus es inimicus. Dicit ad Abraham scriptura diuina per decem iustos patriam posse saluari. Igitur si iusti sunt qui salutem faciunt patriam, utique iniusti sunt qui relinquunt. Et si illi propter præſentiam suam consequuntur gratiam: necesse

est ut si propter desolationem mercantur offensam. Iniustus Patria miplane & impius est filius, qui periclitantem deserit matrem. Sola non de Mater enim quodammodo dulcis est patria, quæ te genuit, quæ nutrit, quæ ut fugere possis diuitem te fecit.

Et S. Augustinus in Psalm. 118. præcipue principibus inculcat virtutem. Magnopere curandum est, ut qui regendis hominibus præſertur, apud se intra sacrarium mentis in cathedra præſideat humilitas, cumque iudicanti ei à cæteris foris aſſiſtitur, vigilanti oculo incessanter aſpiciat, cui quandoque iudici ipse de his iudicandis aſſiſtat. Merito sane omnibus enim quocumque iure damnatis ad Deum salua est appellatio, quicunque causa cecidit, ad magnum illud tribunal in integrum restituitur, & aliquando ad honorem sui iudicis euehitur.

Sententia
iudicium
Deo iudi-
canda ſiſti-
tur.

Romam Rempublicam malis moribus periſſe testis est idem Augustinus lib. 2. de ciuitate Dei, c. 23. Illa igitur respublica malis moribus cum periret, nihil Diæorum, pro dirigendis, vel corrigendis moribus egerunt, ne periret. Imo deprauandis & corrupendis addiderunt moribus, ut periret.

Denique libr. 19. de ciuitate, cap. 21. docet sine iustitia Rempublicam esse non posse. Breuiter enim rempublicam definit esse rem populi. Quæ definitio si vera est, nunquam fuit Romana respublica: quia nunquam fuit res populi: quam definitionem voluit esse respublicam. Populum enim esse definiuit cæterum multitudinis, iuris consensu & utilitatis communione sociatum. Quid autem dicat iuris consensum, disputando explicat: per hoc ostendens geri sine iustitia non posse rempublicam: ubi ergo iustitia vera non est, nec ius potest esse. Quod enim iure fit, profecto iuste fit. Quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum constituta: cum illud etiam ipse ius esse dicant, quod de iustitia fonte manauerit: falsumque esse, quod à quibusdam non recte sententibus dici solet: id esse ius, quod ei qui plus potest, utile est. Quocirca ubi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus cæterus hominum non potest esse. Vbi iustitia se, & ideo nec populus: iuxta illam Scipionis vel Ciceronis definitionem. Et si non populus, nec res populi, sed qualicumque multitudinis, quæ populi nomine digna non est: ac per hoc si est, resp. res populi est, & populus non est, qui consensu non sociatus est iuri; non est autem ius, ubi nulla iustitia est: procul dubio colligitur, ubi iustitia non est, non esse rempublicam. Iustitia porro ea virtus est, quæ sua cuique distribuit. Quæ igitur iustitia est hominis, quæ ipsum hominem Deo vero tollit, & immundis demonibus subdit?

S. 3. Orosius etiam religioni & pietati Christianam tribuit, quod mundus leuioribus malis concutitur, At nobis vero ex professo id probare contendit. Tantum pietati & virtuti illi tribuerunt. Hippolytus martyr grauissimas calamitates magno agmine orbem inuasuras prædixit, tum cum solutis moribus, latissime est regnatus Antichristus, cum omnium regnorum iura concident, & pro dolor ad ea mala sunt iam apparatus, & præambula. Hoc modo ad virtutem hortantem Leonem imperatorem Episcopi Phœnicæ. His bene dispositis, manus hostium vertitur in timorem, & qui pridem imprudenter resistere didicerant, propter vestra fidei magnitudinem confusi veniunt ad ruinam. Imitatores enim eorum principum constituti, qui iustitia & equitate clauerunt, facillime rebus præsentibus præualebitis; Et Episcopi Mesopotamiæ: Hec cum sacerdotibus Christi pietas vestra tenens, atque confirmans in pace Imperii gubernacula moderabitur.

Et Iulianus Episcopus Cœnensis: Martianus amoris diuini diademate coronatur, spirituales quoque suscipiens veritatem, sustinuit Apostolorum dogmata confirmari à præſulibus Ecclesiæ, desiderio fidei accensus Orthodoxæ, quæ cum vestra pietas imitatur, & victoriam contra barbaros adipiscitur, & veritatis quoque destruit inimicos. Synodus sexta, ad Constantinum quartum promittit fore, ut pro pietate eius, Deus omnes actus illius felices & prosperos faciat, qui in suis sacris Euangelis pro

promittit, inquit: *Querite primum regnum Dei, & haec omnia adiciuntur vobis.* Synodus septima ad Constantinum, & Ioannem. *Saluator omnium Deus, & qui nobiscum regnat Ecclesia sua pacem pro premio suo tribuat, vestrum autem imperium cum senatu, & duobus, & fidelissimo militum exercitu in multos annos conferret, & victoriam nobis concedat.* Ipse enim dixit: *Vino ego, dico Dominus, glorificantes me glorifico; ipse est, qui accingens vos potentia omnem hostilem impressionem a vobis auferet, obedientiam autem apud vos conciliabit.* Synod. Toletana ad Siselandum. *Multa regna terrarum caelestis iracundia ita permutauit, ut pro impietate fidei, & morum alterum ab altero solueretur. Unde nos, & cauere oportet casum huiusmodi gentium, ne similiter plaga seriamur precipiti, & pena puniamur crudeli.*

Fides seruat imperium.

Verissime Ambrosius Epist. 31. ad Valentinianum. *Hac est caritas expectanda, hac est caritas maior imperio, si fides tuta sit, quae seruat imperium.*

Peccata Christianorum Turcas vires augent.

§. 4. Experimur & nos in Graecia atque Vngaria, quod de suis temporibus quaestus est Hieronymus in Epitaphio Nepotiani. *Nostris peccatis barbari fortes sunt, nostris vitiis Romanus superatur exercitus. Infelices nos qui tantum displicemus Deo, ut per manus barbarorum illius in nos ira deficiat.* Ezechias egit penitentiam, & ceterum octuaginta quinque millia Assyriorum, una nocte ab uno Angelo delata sunt: Iosaphat laudes Domini concinebat, & Dominus pro laudare superabat: Moyses contra Amalech non gladio, sed oratione pugnavit. Si erigi volumus, prosternamur. Pro pudor, stolidi usque ad incredulitatem mens: Romanus exercitus, victor orbis, & Dominus, ab his vincitur, hos pauet, horum terretur aspectu, qui ingredi non valent, qui si terram tetigerint, se mortuos arbitrantur. Et non intelligimus prophetarum voces, fugiunt mille vno persequente, deamputamus causas morbi, ut morbus pariter auferatur.

Hec utinam omnium cordibus imprimantur hominibus in calamitatibus, quibus etiam insistere multi fatagant, tamen vitia, propter quae illas patimur, pauci deserunt.

Sanctus Augustinus libr. 5. de ciuitate cap. 25. *bonus Deus, in homines, qui eum crederent propter aeternam vitam colendum, has sublimitates, & regna terrena existimarent posse neminem consequi, nisi Daemonibus supplicaret, quod hi spiritus in talibus multum valerent, Constantinum imperatorem non supplicantem demonibus, sed ipsum verum Deum colentem tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam concedere ciuitatem Romani imperii sociam velut ipsius Romae filiam, sed sine aliquo Daemonum templo simulacroque concessit, diu imperauit, vniuersum orbem Romanum vnus Augustus tenuit, & defendit, in administrandis, & gerendis bellis victoriosissimus fuit, in tyrannis opprimendis, per omnia prosperatus est, grandaeus egritudine & senectute defunctus est, filios imperantes reliquit.*

Constantini felicitas cum pietate.

Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione ad Iulianum impietate euertere imperium docet. *Salutifera doctrina (Christi) longe lateque fusa, ac circa nos maxime vigente, religionem Christianam inuerrere, & labefactare conari, nihil aliud fuit, quam Romanorum imperium conuellere, omnibusque Reipub. partibus pericitari, eaque, quibus ne hostes quidem grauius quidquam nobis imprecari possint, a nobis metipsis accipere.*

Nulla clades, nisi comes iniustitiae.

S. Chrysostomus in Isaiam. *Haud rite se habent principum negotia, de his plerumque loquimur. Ingens periculum, quid autem in causa est? eorum inquit, qui principatum gerunt, incogitantia. non est principum incogitantia, sed non iusta iniustitia poena est pro nostris sceleribus exacta. illa nihil non sursum deorsum, miscuerunt, illa quicquid est calamitatum, inuenerunt, illa armarunt hostes, illa fecerunt ut videri descenderemus, non aliunde malorum examen inundauit, quam ex hac causa.*

Hodie quoque quam multi inter lites, vsuras, odia, ebrietates, adulteria accusant principum foecordiam, cum peccatis ipsi suis poenam trahant, nec alia

de causa pacem optent, quam ut vitiis suis secure, & deliciis indulgeant.

Verum ne plura consecrari, legi potest S. Cyrillus de recta in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM fide, ad Theodosium. Hilarius in Psalm. 137. Gregorius ad Theodoricum Francum. S. Leo ad Theodosium, & Pulcheriam Augustam, Athanasius ad Constantinum, & Iovinianum, Ioannes ad Iustinianum. Concilium Meldenense ad Carolum iuniorum Francum, Symmachus ad Anastasium. Concilium Parisiense ad Lodouicum, & Lotharium. S. Bernardus ad Lodouicum. Hormisdas ad Iustinum. Nicolaus ad Michaelum, Episcopi Hispaniarum in coronatione regis.

CAPVT VII.

Sanctis patribus consentire principes pios.

§. 1. **C**Redere tantae auctoritati merito debemus, cum nullam fallendi occasionem, aut causam habuerint. Eos reges qui sunt in scriptura omitto, quia humanis testimoniis magis cedunt, qui diuina oracula non agnoscunt. Omnes tamen principes, prudentes, id dictum sibi existimarunt, quod Dauidi diuinum oraculum denunciauit. *Si cuiusmodi erunt filii tui vias meas, & ambulauerint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua non auferetur tibi vir de folio Israel.*

Philippus Arabs cum se parricidio adeptum imperium non ignoraret de religione melius edoctus, iussu Fabiani pontificis interpenitentes ante Ecclesiam supplex iterit, & facto ostendit, nulla scelere parta imperia esse diuturna, mox enim & ille interfectus est.

Inter principes vix vlli maior gloria, quam Constantino obtigit, nam & latissime imperauit, & Religionem praeter ceteris coluit, templa demonum clausit, vero Deo struxit, Republicam fouit. Ille tamen omnia pietati accepta retulit, atque in iudicio religionis omnia Concilio Niceno retulit. Iovinianus maximo animo, & qui ipso Augusto imperio cellior esset, ante confessor, deinde successores illius, quem tyrannum passus fuerat, negauit se exercitui, qui falsos Deos coleret, imperare velle, cum esset Christianus, quod in tantis flagitiis nullam Reipublicae felicitatem esse posse existimaret.

Theodosius & Valentinianus ad Synodum Ephesinam scribere, per ea, quae ad pietatem, religionemque conseruandam pertinent; caetera quoque se assequi posse. Ipse itaque Theodosius Psalmos canere, preces dicere cum Eudoxia coniuge, & Pulcheria sorore solitus diu feliciterque regnum tenuit.

Eadem est sententia Iustini ad Hormidam, Honorii ad Arcadium. Iustiniani secundi, Caroli Magni ad Episcopos Hispaniae. Caeterorumque, quorum est in historia commendatio, & apud posteros memoria.

Verum hac in re clarior, efficacior, & multis saeculis probatior non potest ratio cinatio produci, quam ius Romani imperii, hoc est ius publicum orbis terrarum, quod iam tot gentibus acceptum, tot regibus firmatum est, ut eius primariam partem velle conuellere, sit res humanas turbare, atque rempublicam euertere.